

in nominibus locorum Virorumque retinimus, qui corrigi facile possunt.

Num. X. & XII. plura sequuntur Forojulienſis, maximeque Civitatenſis Hiſtorię fragmenta, ex vetuſto jam citato Necrologio, quod ſervant in Tabulario Canonici Civitatis Forijulii, deprompta. Non una, ſed multiplici manu conſcripta ſunt a pluribus abſque dubio Auctoſibus, qui litteris conſignabant, quę ſua contingebant ætate. Anonymi ſunt omnes præter Vitum Joannis, qui anno 1468. florebat, Utinenſem patria, alboque inſcriptum Canonicoſum Civitatenſium.

Num. XI. poſtremum habetur Chronicon, quo Res Forojulienſes ab anno 1381. uſque ad annum 1389. recenſentur. Extrema ſcilicet Marquardi Patriarchę tempora attinguntur: diffidia, ac bella fuſiore calamo narrantur, quę Philippo Alenconio Eccleſiam Aquilejenſem titulo commendę adminiſtrante, conflagraverunt: ac Succeſſoris Joannis de Moravia geſta compendio colliguntur. Opus conſcripſit Joannes, filius Aylini, patria Maniacenſis ubi Notarii munere, quod etiam progenitores exercuerant, fungebatur. Prodit vero ex Codice Camilli Manini. Is, Utinenſis Patricius, litteris & armis florebat ſeculo aerę chriſtianę ſextodecimo, Carolo V. Imperatori acceptiſſimus. Or-

natiffimi Viri elogium texit Jo. Joſephus Capodaleus in Civitate Utini illuſtrata. Hęc vero ipſius Manini præfationis loco verba legimus: *Camillus Maninus Hiſtorię ſtudioſis. Hęc ego e veteri quodam MS. libro ad litteram deſcripſi. Si quędam errata male ſignata, & parum ut ita dicam orthographice deſcripta inveniſti amice lector, precor, negligentię meę ne adſcribito; & aliquid incomptę illius temporis, & corruptę antiquitati condonato. Exemplum, quod vulgamus, Franciſco Beretę, quem honoris & obſervantię cauſa nominamus, acceptum debemus. Aliud ipſe pro ſua humanitate communicavit exemplum, ex Codicibus in Archivvo Dynaſtarum Maniacenſium adſervatis, lacunavum frequentia ſœdatis, mendorum copia ſcatentibus, ac vetuſtate pene conſumptis deſumptum; quod attamen veriores aliquas lectiones, chronicaſque notas exhibet animadverſione dignas. Hactenus vero de primo huiusce Hiſtorię fragmento. Atenim inſigne denique additamentum accedit, ab eodem Joanne Aylini proculdubio conſcriptum; quod poſteritati ſervavit Codex initio mutilus, propria Antonii Belloni manu exaratus. Plura diſſeruiſmus Capite XCVI. num. 4. quę repetere nec vacat, nec libet.*

INDEX CHRONICORUM,

Quę vel emendatiora, vel nunc primum in lucem prodeunt.

- I.
Catalogus Patriarcharum Aquilejenſium, qui quottannis die ſecunda Februarii in Feſto Purificationis Deiparę recitatur in Eccleſia Collegiata S. Marię in Civitate Forijulii.
- II.
Chronicon Patriarcharum Aquilejenſium, quod in Tabulario Capituli in Civitate Forijulii adſervatur.
- III.
Chronicon alterum, initio mutilum, quod in eodem Tabulario Capituli Civitatenſis adſervatur.
- IV.
Chronicon tertium Patriarcharum Aquilejenſium, Volcheri, & Succeſſorum.
- V.
Nonnullorum Patriarcharum Vitę ex alio Chronico MS. deſumptę.
- VI.
De Rebus Forojulienſibus ſub Ludovico de Tech ex alio Chronico MS. Patriarcharum.

- VII.
Urbes, Caſtra, oppida, & Arces Forojulienſes ex Codice MS.
- VIII.
Juliani Chronicon Forojulienſe ex Codice Antonii Belloni deſcriptum.
- IX.
Epitome ſuperioris Chronici, quę in Archivvo Capituli Forojulienſis, ſeu Civitatenſis adſervatur in calce vetuſtiſſimi Necrologii.
- X.
Fragmenta Hiſtorica, ex eodem vetuſtiſſimo Necrologio deprompta.
- XI.
Joannis q. Aylini Notarii Maniacenſis Hiſtoria belli Forojulienſis tempore D. Philippi de Alenconio Cardinalis, & Aquilejenſis Patriarchę ex Codicibus Camilli Manini, & Antonii Belloni.
- XII.
Fragmenta Hiſtorica ex Necrologio MS. citato num. IX. & X.